

Miscellaneum

De iure benedicendi Abbates

Petrus Carette, canonicus Praemonstratensis, per plures annos procurator generalis erat apud Curiam Romanam. Quandonam ad hoc munus designatus fuerit in Actis Capitulorum generalium, prout hucusque nota sunt, non indicatur. A Capitulis generalibus annorum 1660, 1663, 1666, explicitis verbis qua Procurator in Actis Capitulorum denominatur. Asservantur vero in Arch. Abbatiae Parcensis, Li. XXI, cas. XVII, 5, plures litterae procuratoris Carette, annorum 1558-1668. Quae litterae missae fuerunt abbati Parcensi, Liberto De Pape, abbati annis 1648-1682, et Vicario Abbatis generalis pro Circaria Brabantiae, annis 1652-1682.

Litterae illae inter alia, iteratis vicibus, agunt de iure benedicendi Abbates. Noverat enim abbas Parcensis abbates Ordinis Cisterciensis, vi privilegii pontificii, benedici posse ab Abbatibus sui proprii Ordinis. Et abbas de Pape omnino desiderabat idem privilegium pro Ordine Praemonstratensi obtinere. Procurator Carette ad hoc privilegium obtinendum conatus plures adhibuit. Incassum vero!

Omnia quidem quae de hoc negotio attinguntur aut referuntur in litteris Carette non describemus. Elementa potissimum iuridica in iis indicata aut relata solummodo indicamus.

Cum autem in Actis Capituli generalis anni 1663 quaedam, indirecte quidem, indicationes adesse videantur, has primo loco referimus. Legimus in Actis huius Capituli, iuxta textum relatum in ms. Nancy, 994 (1747), fol. 266 b, ex sessione 15 a : « Constituatur Romae Procurator generalis cum socio religioso, ad iura Ordinis defendenda, cui sustentando omnia Ordinis Monasteria et beneficia contribuere teneantur et quicumque lites aut negotium quaecumque Romae habuerit, teneatur illud per huiusmodi Procuratorem generalem procurare, expensasque litis et negotii eiusdem subministrare ». — In eadem sessione, legimus : « Nullus Ordinis Praelatus confirmationem suam a Dioecesanis accipiat, sed a Patre Abbate et eo deficiente a Vicario Rmi D. Generalis; quo pariter impedito, a Circariae capitulari Visitatore ». Potissimum decisio, relate ad quaestionem in hac nostra tractatiuncula agitatam, sequens momento non deest. Declaravit Capitulum

anni 1663, l.c., f. 267 b : « Religiosi omnes Ordinis nostri gaudent privilegio Ordinum Mendicantium, et aliarum Congregationum privilegiatarum, non tamen sine licentia Superiorum iis privilegiis utantur nisi iuxta tenorem Bullarum apostolicarum ». — Indicationes magis precisae de sensu huius declarationis sane opportunaessent, ad hoc ut mens Capituli generalis melius perspiciatur. — Indicationes vero tales in Actis Capituli, uti prostant, non habentur.

His in genere dictis, magis in specie litteras procuratoris Carette inspicere intendimus.

Ex litteris Carette diei 13 decembris 1664, deducimus abbatem Parcensem de obtinendo privilegio benedicendi Abbates proprii Ordinis ab Abbate eiusdem Ordinis — quod privilegium Cisterciensibus concessum erat — praeoccupari. Respondet Carette « in suo vigore sinantur obtenta; hinc est quod vix aliquid sperare aut omittere possim; nihilominus cum vestra petitio sit valde rationabilis et bonis stabilita rationibus ac autoritatibus, tendatque in bonum totius Ordinis, crederem, accedente potissimum Internuntii Belgici recommendatione, istius gratiae petitionem non esse contemnendam. Verum cum huiusmodi impetratio vix sit huius temporis, ideo magna cautela et circumspectione in ipsius sollicitatione est procedendum; ne statim a postulatis excidamus ».

Iterum de eodem negotio agit procurator Carette in litteris diei 3 Ianuarii 1665. Cum Cardinalis Protector Ordinis Praemonstratensis aegrotet, hucusque de ea re iste agere non potuit apud Summum Pontificem. Suggest Carette Cardinalem Protectorem apud Summum Pontificem insistere debere ut communicatio privilegii a Cisterciensibus obtenti Praemonstratensibus etiam concederetur; aut, si possibile, res determinanda relinqueretur Internuntio Belgii. Litteris diei 24 Ianuarii rescimus Procuratorem de hac re locutum esse Cardinali Protectori : huicque solutionem proposuisse quae litteris diei 3 Ianuarii exposita fuit. In litteris diei 7 Februarii 1665 exponitur secretarium Cardinalis Protectoris congregare omnia documenta necessaria et utilia ad hoc ut totum negotium modo debito Summo Pontifici exponi posset.

Iterum litterae diei 4 Aprilis ex parte Carette de eodem negotio agunt. Ex his litteris notum fit apud Episcopos Belgii informationes requirendas esse ad hoc ut decisio recta ferri posset.

Versus finem anni sequentis, 1666, variae litterae ex parte Carette quaedam referunt de eodem negotio, nondum deciso. Elementa vere

nova non habentur. Iterum dicitur tum Internuntium Apostolicum in Belgio, tum Episcopos Belgii audiri debere.

Ex litteris diei 26 Martii 1667, informatur Abbas Parcensis negotium tractandum commissum esse S. Congregationi Consistoriali; additurque Summum Pontificem (Alexandrum VII) gravi morbo esse detentum. In litteris istis, Carette exponit elementa iuridica quae pro solutione negotii tractati prae oculis habebantur. Scribitque Carette: « Moneo, pro informatione Ampl. Vestrae, me inter informatos Iudices didicisse, ratione communicationis privilegiorum, nullas communicari gratias personales, honorificas et pontificias, qualis est gratia benedictionis solis Cisterciensibus concessa, et nullis aliis per communicationem privilegiorum cum eis attributa; nisi de iis fiat expressa mentio; sed solum gratiae personis et statui Religioso communes, et haec erat opinio eorum qui Bullas componunt; nec potuit dicere quod idem Papa Clemens VIII, qui Cisterciensibus dictam gratiam concessit, etiam per communicationem privilegiorum S. Ordini Praemonstratensi omnia et singula privilegia, concessionem, indulta, etc. Cisterciensibus concessa, concessisset. Praeterea nonnulli iudicarunt audiendos esse Episcopos super difficultatibus propositis, eo quod undique congruerentur apud Stam Sedem, quo eorum potestas in dies minueretur ». — Relate ad iuramentum addititium quod, occasione benedictionis Abbatum, Episcopi Belgii exigere solebant, addit Procurator Carette in iisdem litteris: relate ad hanc quaestionem motam a Procuratore: « existimabant eiusmodi difficultatibus subveniendum, inhibendo Episcopis ne in posterum tale iuramentum exigent ab Abbatibus exemptis, quod alii opinantur non esse in praeiudicium exemptionis, eo quod exempti etiam in multis essent subiecti Episcopis, tamquam legatis Sedis Apostolicae, super quibus iuramentum cadebat, et non super exemptionibus ». Concluditque Carette: « Ex quibus intelligere potest Ampl. Vestram quam difficile modo est impetrare novas gratias, conquerentibus de iis undequaque Episcopis; Nihilominus incoeptam Causam ad ultimum prosequar, licet hucusque inutiles labores et expensas fecerimus ».

In litteris diei 14 Maii 1667, scribit Carette causam agitatam nondum a Summo Pontifice decisam esse; Summus Pontifex enim semper periculose aegrotat.

Ante finem anni 1667, Alexander VII mortuus est, Et eodem anno Clemens IX in Summum Pontificem electus fuit. Litteris diei 31 Martii

1668, scribit Carette Causam nondum a novo Summo Pontifice tractatam ac decisam fuisse.

Et litteris diei 2 Iunii 1668 rescimus Procuratorem Carette interim non cessasse in adhibendis conatibus ad hoc ut negotium agitatum tandem ad effectum foelicem perducere valeret. Decisionem nondum obtinere potuerat. Conclusio proinde erat ista : Privilegium tantopere desideratum ab abbate De Pape, Vicario Generali pro Circaria Brabantiae, obtineri non potuit.

J. B. VALVEKENS, O. Praem.

De Maagdenburgse kapittels in de Germania Sacra

Onder de namen van Gottfried Wentz(†) en Berent Schweineköper verschenen opnieuw twee forse delen in de reeks *Germania Sacra* ¹⁾. Zij behandelen het domkapittel en de kapittels Sint-Sebastiaan, Sint-Nicolaas, Sint-Pieter en Paulus en Sint-Gangolf. Het Onze-Lieve-Vrouweklooster, dat ondanks zijn naam ook een seculier kapittel was tot 1129, wordt hier nog niet bestudeerd.

Vermelden we vooreerst dat het hier om een degelijk naslagwerk gaat, dat door zijn enorme rijkdom aan gegevens bewondering afdwingt. De nuanceringen die we verder zullen aanbrengen, doen daaraan niets af. Zoals in elk groot werk is het ook hier mogelijk enkele schoonheidsfoutjes en overlappingen aan te duiden, doch daarmee is niemand gebaat. Wij beperken ons daarom tot de bespreking van de gegevens die voor de geschiedenis van Norbertus en de orde belang kunnen hebben.

Wat het domkapittel aangaat is ook B. Schweineköper van mening dat deze gemeenschap voorbehouden was voor de adel, ook al is dat vóór de 13de eeuw niet te bewijzen (blz. 114). Dit in tegenstelling tot de andere Maagdenburgse kapittels waarin hoofdzakelijk de zonen uit de burgerij opname vonden (o.m. blz. 709-735, 757 en 799). De domheren kregen dikwijls de opdracht voor de aartsbisschop het

¹⁾ G. WENTZ(†) en B. SCHWINEKOEPEL, *Die Bistümer der Kirchenprovinz Magdeburg, Das Erzbistum Magdeburg*, I, 1, *Das Domstift St. Moritz in Magdeburg*, Berlijn, New York, 1972, in-8°, XVIII-587 blz.; I, 2, *Die Kollegiatstifte St. Sebastian, St. Nicolai, St. Peter und Paul und St. Gangolf in Magdeburg*, Berlijn, New York, (Walter de Gruyter) 1972, in-8°, blz. 589-1026.